LECTIO ECCLESIAE



Et lapidābant Stephanum invocantem, et dicentem: Domine Iēsū, suscipe spīritum meum. (Act. 7)

JEAN-JOSEPH GAUME

SELECTA MARTYRUM

ACTA, PARS PRIMA

ad ūsum discipulōrum ēdita

vocābulis Latīnē explicātīs, vōcālibus longīs notātīs, imāginibus

LECTIO ECCLESIAE PRESS

The text follows Jean-Joseph Gaume (ed.), *Selecta martyrum acta, tomus primus*: Selecta martyrum acta ad usum studiosae juventutis adnotata, editio secunda, tomus primus. Paris: Gaume, 1857 (Bibliothèque des classiques chrétiens latins et grecs). The Latin acts; the French notes omitted.

A work in the public domain. Misprints of the old edition are corrected.

Vowel lengths are marked throughout. The spelling uses *v* for the consonant, *i* for vowel and consonant alike, and *ae* and *oe* as two letters. The notes in the margin are in Latin.

Sentences quoted in the margin come from the Vulgate (cited by the usual abbreviations) and from: Epit. = Lhomond, Epitome historiae sacrae; Fab. fac. = Ritchie, Fabulae faciles; Heuz. Syn. = Heuzet, Synopsis vitae Christi, B. V. Mariae, ac SS. Apostolorum; Heuz. VT I = Heuzet, Selectae e Veteri Testamento historiae, pars prima; Heuz. VT II = Heuzet, Selectae e Veteri Testamento historiae, pars secunda; Heuz. prof. = Heuzet, Selectae e profanis scriptoribus historiae; Imit. = Thomas a Kempis, De imitatione Christi; Ora mar. = Sonnenschein, Ora maritima; Orb. pict. = Comenius, Orbis sensualium pictus; Pons tir. = Appleton and Jones, Pons tironum; Prim. ann. = Paine and Mainwaring, Primus annus; Pro patr. = Sonnenschein, Pro patria; Puer Rom. = Appleton and Jones, Puer Romanus; Sulp. Dial. = Sulpicius Severus, Dialogi; Sulp. Mart. = Sulpicius Severus, Vita sancti Martini; Vestib. = Comenius, Ianuae Latinitatis vestibulum; Vit. sanct. = Gaume, Selectae sanctorum vitae; Viv. = Vives, Linguae latinae exercitatio.

Pictures. Frontispiece: W. H. L. Grüner after Raphael, *The Stoning of St Stephen* (1867), Wellcome Collection. At the head of chapters: Jacques Callot, *Les images de tous les saints* (Paris, 1636), Metropolitan Museum of Art (chapters 5, 10, 20, 23, 27, 28); Antonio Tempesta, *Imagini di molte vergini romane nel martirio* (Rome, late sixteenth century), Rijksmuseum (chapters 15, 16, 21); Giovanni Battista de' Cavalieri, *Pontificum Romanorum effigies* (Rome, 1587), Rijksmuseum (chapters 22, 25); an anonymous etching of St Sabina, Wellcome Collection (chapter 24). All from reproductions in the public domain.

Set in Junicode and Gentium Plus (SIL Open Font License). All rights in this edition reserved.

Published by Lectio Ecclesiae Press · lectioecclesiae.com

Corrections are gratefully received at editor@lectioecclesiae.com.

ISBN 979-8-9822612-8-1 (paperback) · ISBN 979-8-9822612-9-8 (hardcover)

1

ACTA SANCTI MAXIMI, MARTYRIS

¶ Decius imperātor, volēns opprimere vel superāre lēgem christiānōrum, dēcrēta cōnstituit per ūniversum orbem ut omnēs christiānī daemoniīs sacrificārent: quī vērō nōluissent, suppliciīs subiacērent. Eō tempore famulus Deī Māximus, vir sanctus, ultrō sē palam ostendit. Erat vērō plēbeius, negōtiī suī cūram gerēns. Comprehēnsus igitur, oblātus est Optimō, prōcōnsulī apud Asiam. Prōcōnsul dīxit ad eum: Quis vocāris? Respondit: Māximus dīcor. Prōcōnsul dīxit: Cuius conditiōnis es? Māximus dīxit: Ingenuus nātus, servus vērō Christī. Prōcōnsul dīxit: Quod officium geris? Māximus respondit: Homō sum plēbeius, meō negōtiō vīvēns. Prōcōnsul dīxit: Christiānus es? Māximus respondit: Etsī peccātor, christiānus tamen sum. Prōcōnsul dīxit: Nōn cōgnōvistī dēcrēta invictissimōrum prīncipum, quae nūper advēnērunt? Māximus respondit: Quae?

Prōcōnsul dīxit: Ut omnēs christiānī, relictā superfluā superstitiōne, cōgnōscant vērum prīncipem cui omnia subiacent, et eius deōs adōrent. Māximus respondit: Inīquam rēgis huius saeculī prōlātam sententiam cōgnōvī, et ideō mē palam ostendī. Prōcōnsul dīxit: Sacrificā ergō diīs? Māximus respondit: Ego nōn sacrificō nisi sōlī Deō, cui mē ab ineunte aetāte sacrificāsse congrātulor. Prōcōnsul dīxit: Sacrificā, ut salvēris? quod sī nōlueris, variīs faciam tē dēgere tormentīs. Māximus respondit: Hoc est quod semper optāvī. Propterea enim mē manifestāvī, ut tandem, carēns miserābilī et temporālī vītā, aeternam reciperem. Tunc Prōcōnsul iussit eum fustibus caedī. Cumque caederētur, dīcēbat eī: Sacrificā, Māxime, ut ab hīs līberēris tormentīs?

Māximus respondit: Haec nōn sunt tormenta, quae prō nōmine Dominī nostrī Iēsū Christī inferuntur, sed sunt unctiōnēs. Sī enim recesserō ā Dominī meī praeceptīs, quibus sum dē Ēvangeliō eius ērudītus, vēra et perpetua mihi manēbunt tormenta. Tunc Prōcōnsul iussit eum in equuleō suspendī; cumque torquērētur, dīcēbat ad eum: Iam

dēcrētum -ī n “Ego Dārīus statuī dēcrētum” (Esdr. 6)

sub-iaceō
famulus -ī m = servus
ultrō = libenter
palam “Et palam verbum loquēbātur.” (Marc. 8)
offerō oblātus

ingenuus = liber

invictus “manet invictus rēx in aeternum” (Eccli. 18)
nūper “Testantem quendam nūper audīvī” (Sulp. Dial. III)
superfluus “in hōc ergō vānitās et cūra superflua est” (Eccle. 4)

prōferō prōlātam

Deus diīs

congrātulor “congrātulātus plūrimum et gāvīsus in Dominō” (Sulp. Mart.)
dēgō = vīvō

manifestō “manifestābō eī mē ipsum” (Imit. 3, 56)
careō ↔ habēre
miserābilis = miser
temporālis < tempus
fustis “vehementius caedēbat fuste latera eius” (Num. 22)

unctiō -ōnis f < ungere

equuleus -ī m “iussit eōs in equuleum levārī” (Vit. sanct. 61)

insipientia -ae f "tū scīs insipientiam meam" (Ps. 68)
lucror "lucrātus eris frātrem tuum" (Matth. 18)

resipīsce, miser, ab īnsipientiā tuā, et sacrificā, ut animam lucrēris? Māximus respondit: Animam meam lucrābor, sī nōn sacrificāverō; quod sī sacrificāverō, perdō eam. Mihi enim nec fustēs, nec ungulae, nec īgnis sentiendī dant dolōrem; quia in mē manet grātia Christī, quae mē salvum faciet in aeternum, omnium Sanctōrum ōrātiōnibus, quī, in hāc colluctātiōne certantēs, vestrās superāvērunt īnsāniās, nōbīsque virtūtum exempla relīquērunt.

certō = contendō

accommodō "sī accommodāveris animum tuum" (Eccli. 6)
obruō = opprimō
athlēta -ae m "Dīcunt eum agere athlētam" (Viv. 7)

Tunc Prōcōnsul dedit in eum sententiam, dīcēns: Eum quī sacrīs lēgibus assēnsum nōluit accommodāre ut māgnae Diānae sacrificāret, ad metum reliquōrum christiānōrum, obruī lapidibus praecipiō. Et sīc raptus est athlēta Christī ā ministrīs diabolī, grātiās agēns Deō et Patrī per Iēsum Christum Fīlium eius, quī eum dīgnum iūdicāvit certandō diabolum superāre; ductusque forās mūrōs, lapidibus caesus, reddidit spīritum. Passus est autem famulus Deī Māximus apud Asiam prōvinciam, secundō īdūs maiī, sub Deciō imperātōre et Optimō prōcōnsule, rēgnante Dominō nostrō Iēsū Christō, cui est glōria in saecula saeculōrum. Āmēn.

Īdūs -uum f pl diēs decimus quīntus in mēnsibus Martiō, Māiō, Iūliō, Octōbrī

2

ACTA DISPUTATIONIS SANCTI ACHATII, EPISCOPI ET CONFESSORIS

glōriōsus < glōria
factum -ī n "hic beātus in factō suō erit" (Iac. 1)
memorō cf. memor
tueor = custōdiō
victor -ōris m < vincere
corōnō cf. corōna
cōnsulāris < cōnsul
scūtum -ī n "scūta Alexander māgnus reliquerat" (Heuz. VT II 20)
refugium -ī n "factus est Dominus refugium pauperī" (Ps. 9)
assiduus = perpetuus

¶ Quotiēscumque servōrum Deī glōriōsa facta memorāmus, illī referimus grātiam, quī et patientem tuētur in poenā et victōrem corōnat in glōriā. Martiānus itaque cōnsulāris ā Deciō imperātōre praefectus, christiānae lēgis inimīcus, Achatium ad sē iussit addūcī, quem scūtum quoddam ac refugium Antiochīae regiōnis audierat; et, eō intrōductō ad sē, ait: Dēbēs amāre prīncipēs nostrōs, homō rōmānīs lēgibus vīvēns? Respondit Achatius: Ā quō sīc dīligitur imperātor quemadmodum ab hominibus christiānīs? Assidua enim nōbīs est prō eō ac iūgis ōrātiō, ut prōlixum aevum in hāc lūce cōnficiat, ac iūstā populōs potestāte moderētur, et pācātum māximē imperiī suī tempus accipiat. Deinde prō salūte mīlitum et prō statū mundī et orbis.

prōlixus = longus
aevum -ī n = aetās
moderor = regō
pācō "modo pācātus modo turbātus" (Imit. 3, 33)
status -ūs m < stāre

Martiānus ait: Haec et ipse collaudō: sed, ut obsequium tuum plēnius imperātor āgnōscat, sacrificium illī solve nōbīscum. Achatius dīxit: Ego Dominum meum, quī est vērus et māgnus, prō salūte rēgis obtestor: sacrificium vērō nec ille exigere, nec nōs dēbēmus exsolvere. Quis enim hominī sacra persolvat? Martiānus ait: Respondē, cui Deō precem fundis, ut ipsī etiam nōs sacra reddāmus? Achatius dīxit: Ego Deum meum optō tē scīre, quod prōsit! et Deum quī est vērus āgnōscere. Martiānus ait: Nōmen eius mihi ēnūntiā? Achatius dīxit: Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iācōb. Martiānus ait: Deōrum ista sunt nōmina?

col-laudō
obsequium -ī n = officium
plēnē < plēnus

obtestor = rogō

ex-igō = petō
ex-solvō = solvō
sacrum -ī n = sacrificium
per-solvō = solvō

ēnūntiō "voluntātem deī hominibus ēnūntiābat" (Fab. fac. 19)

Achatius respondit: Nōn istī, sed quī locūtus est istīs, ille est Deus vērus, illum timēre dēbēmus. Martiānus ait: Quis est iste? Respondit Achatius: Altissimus Adonai, sedēns super Cherubim et Seraphīm. Martiānus ait: Quid est Seraphīm? Cui Achatius: Altissimī Deī minister et excelsae sēdis antistes. Martiānus ait: Quae tē philosophiae disputātiō vāna dēcēpit? Sperne invīsibilia; potius deōs vērōs quōs aspicis recōgnōsce? Respondit Achatius: Quī sunt diī quibus sacrificāre mē praecipis? Martiānus ait: Apollinī, servātōrī nostrō, famis et pestilentiae dēpulsōrī, per quem omnis mundus servātur et regitur. Respondit Achatius: Illī vērē, ut putātis, interemptō? quī cum Neptūnō aliquandō servīvit; ipsī quī aliēna pecora servāvit; huic sacrificāre mē praecipis?

antistes -itis m = sacerdōs

disputātiō -ōnis f "mundum trādidit disputātiōnī eōrum" (Eccle. 3)
invīsibilis ↔ vīsibilis
re-cōgnōscō = āgnōscō
Deus diī
servātor -ōris m < servāre

interimō = interficiō

An Aesculāpiō fulminātō et portentīs caeterīs sacrificium impendam? Vel ob huius vītae exitum adōrābō ego eōs quōs nōn dīgnor imitārī, quōs contemnō, quōs accūsō, quōs horreō? quōrum facta nunc sī quis admittat, num sevēritātem lēgis vestrae poterit effugere? Et modo in aliīs colitis quae in aliīs vindicātis. Martiānus ait: Christiānōrum cōnsuētūdō est multa in deōs nostrōs maledicta cōnfingere. Propterea tē venīre mēcum ad Iovem Iūnōnemque praecipiō, ut, simul celebrantēs dulce convīvium, nūminibus quae sunt dīgna reddāmus. Respondit Achatius: Quōmodo hīc sacrificābō illī cuius sepulcrum esse cōnstat in Crētā?

exitus -ūs m = mors

dīgnor cf. dīgnus
imitor "nec imitēris viās eius" (Prov. 3)
accūsō = arguō
horreō = timeō
ad-mittō

nūmen -inis n = Deus

Numquid resurrēxit ā mortuīs? Martiānus ait: Aut sacrificā, aut morere? Respondit Achatius: Haec et Dalmatae faciunt, latrōcinandī arte callentēs.

calleō = sciō

Ubi angustiās viārum et sēcrēta itineris loca obsēderint ad necandum, vēnantur singulōs trānseuntēs. Et, ubi quisque viātor illūc pedem tulerit, hāc pactiōne cōnstringitur ut aut pecūniam relinquat aut vītam. Nēmō itaque ibi quid sit ratiōnis interrogat, sed quid possit ille quī cōgit. Similis est tua sententia, quī aut iniūsta implērī praecipis, aut mināris exitium. Nihil formīdō, nihil timeō. Iūs pūblicum pūnit fūrem, maleficum et homicīdam. Hōrum sī reus sum, ante vōcem tuam iam mē ipse condemnō; sīn vērō eō quod Deum quī est vērus colō, dūcor ad poenam, nōn lēgis, sed iūdicis voluntāte condemnor. Ideō purgāre tē nōn potes.

locus "ad loca Chananaei et Hethaei" (Ex. 3)
necō = interficiō
vēnor "Esaüs itaque profectus est vēnātum." (Epit. 28)
viātor -ōris m is quī iter facit
ferō tulerit
pactiō -ōnis f = pactum
cōnstringō = vinciō
iniūstus ↔ iūstus
minor "Esaüs ardēns īrā minābātur mortem Iacōbō." (Epit. 33)
exitium -ī n = ruīna
homicīda -ae m "homicīda revertētur in terram suam" (Num. 35)
reus -ī m "factus est omnium reus" (Iac. 2)
purgō = mundō

Scrīptum est enim: Ut iūdicās, sīc et iūdicāberis: et ut facis, sīc et erit tibi. Martiānus ait: Ego nōn sum iussus iūdicāre, sed cōgere. Unde sī contempseris, certus estō dē poenā. Respondit Achatius: Et mihi praeceptum est nequando Deum meum negem. Sī servīs hominī fragilī atque carnālī cito ab hōc saeculō recessūrō, quem mox ā vermibus scīs edendum, quantō magis ego potentissimō Deō obēdīre dēbeō, cuius virtūs cōnstat in saecula et cuius illud est dictum: Quī mē dēnegāverit cōram hominibus, et ego dēnegābō eum cōram Patre meō, quī est in coelīs; cum vēnerō in glōriā et virtūte praedictā iūdicāre vīvōs et mortuōs.

praeceptum

nēquandō = nē
fragilis "nec aliud quam fragilēs hominēs sumus" (Imit. 3, 45)
carnālis < carō

dē-negō = negō

Martiānus ait: Quod discere semper optābam, repente cōnfessus es errōrem vestrae persuāsiōnis et lēgis. Habet ergō, ut dīcis, fīlium Deus? Respondit Achatius: Habet. Martiānus ait: Quis est Fīlius Deī? Respondit Achatius: Verbum vēritātis et grātiae. Martiānus ait: Hoc habet nōmen? Respondit Achatius: Nōn dē nōmine interrogāverās, sed dē ipsā Fīliī potestāte. Martiānus ait: Nōmen explānā. Sanctus Achatius respondit: Iēsūs Christus vocātur. Martiānus ait: Ex quā, dīc, uxōre conceptus est? Respondit sanctus Achatius: Nōn hominum mōre Deus Fīlium genuit;

repente = subitō

cōnfiteor cōnfessus

explānō = expōnō

concipiō conceptus

gignō genuit

sed Adam prīmum dexterā suā faciente fōrmāvit. Lutō prīmī hominis membra composuit: et ubi integram iam complēverat effigiem, animam spīritumque concessit.

Sīc et Fīlius Deī, Verbum vēritātis, ex Deī corde prōcessit; ideō scrīptum est: Ēructāvit cor meum verbum bonum. Martiānus ait: Corporālis igitur Deus est? Achatius dīxit: Ipse sōlus āgnōscit; nōs vērō nōn cōgnōscimus invīsibilem fōrmam, sed virtūtem potentiamque venerāmur. Martiānus ait: Sī in corpore nōn est, etiam cordis īgnārus est; nam sēnsus nōn potest esse sine membrīs. Respondit Achatius: Nōn in hīs membrīs sapientia nāscitur; sed ā Deō datur. Quid ergō pertinet corpus ad sēnsum? Martiānus ait: Cataphrygēs aspice, hominēs religiōnis antīquae, ad mea sacra conversōs, relīquisse quae fuerant, et nōbīscum diīs vōta persolvere; et tū similiter pārēre festīnā.

Omnēs catholicae lēgis collige christiānōs, et cum hīs religiōnem nostrī imperātōris imitāre. Veniat tēcum omnis populus, ex tuō pendet arbitriō. Respondit Achatius: Illī omnēs nōn meō nūtū, sed Deī praeceptō reguntur. Audiant mē itaque sī iūsta persuādeam; sīn vērō perversa et nocitūra, contemnant. Martiānus ait: Omnium trāde mihi nōmina. Respondit Achatius: Nōmina eōrum coelestī librō et dīvīnīs pāginīs sunt annotāta. Quōmodo ergō oculī mortālēs aspicient quod immortālis virtūs Deī et invīsibilis annotāvit? Martiānus ait: Ubi sunt magī sociī artis tuae, vel doctōrēs huius artificiōsae fallāciae? Respondit Achatius: Nōs omnia meruimus ā Deō et merēmur; sectam vērō magicae artis horrēmus.

Martiānus ait: Ideō magī estis, quia novum nesciō quod genus religiōnis indūcitis. Respondit Achatius: Illōs dēstruimus quōs vōs prius facitis, et ā vōbīs factōs ipsī timētis. Dēficerent enim vōbīs diī, sī artifex saxō, aut saxum nōn abundāret artificī. Timēmus enim nōs illum nōn quem fabricāmus, sed ā quō fabricātī sumus; quī nōs creāvit ut Dominus, amāvit ut pater, et aeternae mortī, quasi bonus patrōnus, ēripuit. Martiānus ait: Dā nōmina, nē poenae

fōrmō cf. fōrma

integer = perfectus

effigiēs -ēī f = imāgō

ēructō = ēmittō

corporālis < corpus

veneror = adōrō

īgnārus “quidnam id esset īgnārus” (Sulp. Mart.)

religiō -ōnis f “Quae est ista religiō” (Ex. 12)

imitor “imitandō eum in timōre Dominī” (Eccli. 45)
pendeō “ex vōbīs pendet anima illōrum” (Iudith 8)
arbitrium -ī n “nihil arbitriō suō agere” (Vit. sanct. 66)
nūtus -ūs m “omnia fiēbant ad nūtum eius” (Epit. 44)
per-suādeō
per-vertō
mortālis = hūmānus
immortālis “immortālis est enim memoria illīus” (Sap. 4)
magus “Nōn dēclinētis ad magōs” (Lev. 19)
doctor -ōris m < docēre
fallācia -ae f = dolus
magicus “ego herbās magicās praebēbō” (Fab. fac. 78)

artifex -icis m “opera fiant per manūs artificum” (I Par. 29)
saxum -ī n = lapis
fabricō = aedificō

patrōnus -ī m “Nōn patrōnum ergō quaesīvit ad iūdicium capitis Sōcratēs” (Heuz. prof. 4, 17)

succumbō "Huic igitur succumbet virtūs?" (Heuz. prof. 4, 20)
tribūnal -ālis n "ad tribūnal Fulviī venit" (Heuz. prof. 4, 12)
assistō = stō
in-quīrō = quaerō
exstinguō = opprimō

ipse succumbās. Respondit Achatius: Ante tribūnal ipse assistō; et nōmen inquīris? An spērās quod multōs valeās vincere, quem ego sōlus exstinguō?

Sī cordī tuō nōmina sunt, Achatius dīcor; et sī proprium nōmen meum explōrās, vocor Agathangelus et Pīsō, Troiānōrum episcopus et Menander presbyter. Fac iam quod placet. Martiānus ait: Recipiēris in carcerem, ut imperātor gesta cōgnōscat; et eius nūtū quid dē tē agī dēbeat dēcernātur. Lectīs itaque omnibus gestīs, Decius imperātor alternātiōnem iam redditae respōnsiōnis admīrāns, versus in rīsum est: et Martiānō praefectūram Pamphȳliae mox dedit; Achatium vērō vehementer admīrāns, aestimātiōnī propriae et lēgī suae reddidit. Haec facta sunt ā Martiānō cōnsulārī, imperātōre Deciō, quartō kalendās aprīlīs.

respōnsiō "Tempus et respōnsiōnem cor sapientis intelligit." (Eccle. 8)
rīsus -ūs m "Rīsum fēcit mihi Deus" (Gen. 21)
aestimātiō -ōnis f < aestimāre
Kalendae prīmus mēnsis diēs

3
ACTA SS. MARTYRUM PETRI, ANDREAE, PAULI, ET DIONYSIAE, VIRGINIS

¶ Tempore inīquitātis, quandō certābant prō fidē Christī mīlitēs religiōnis christiānae et omnis terra flōrēbat dē beātissimō sanguine Martyrum, in locīs Lampsacī comprehēnsus est quīdam iuvenis, Petrus nōmine, valdē quidem fortis in fidē, pulcher animō et speciōsus corpore, et oblātus est prōcōnsulī. Prōcōnsul dīxit ad eum: Quis dīceris? Respondit: Petrus. Cui prōcōnsul dīxit: Christiānus es? Petrus respondit: Etiam, christiānus sum. Prōcōnsul dīxit: Habēs ante oculōs dēcrēta invictissimōrum prīncipum. Sacrificā ergō māgnae deae Venerī. Petrus respondit: Mīror, sī persuādēs mihi, Optime prōcōnsul, sacrificāre impudīcae mulierī et sordidae, quae tālia opera ēgit ut cōnfūsiō sit ēnarrāre.

flōreō "videāmus sī flōruit vīnea" (Cant. 7)
martyr "dē sanguine martyrum Iēsū" (Apoc. 17)
speciōsus < speciēs

dea -ae f "Dīi deaeque istōs perdant" (Heuz. prof. 5, 6)
impudīcus ↔ pudīcus
sordidus = immundus
ē-nārrō

Oportet ergō mē magis Deō vīvō et vērō, Rēgī saeculōrum omnium Christō, sacrificium offerre ōrātiōnis, dēprecātiōnis, compunctiōnis et laudis. Audiēns haec prōcōnsul, iussit eum adhūc aetāte adolēscentulum tendī in rotīs, et, lignīs in circuitū positīs, vinculīs ferreīs tōtum corpus eius fēcit cōnstringī, ut contortī et cōnfractī minūtā-

dēprecātiō -ōnis f < dēprecārī
compunctiō -ōnis f "Dā tē ad cordis compunctiōnem" (Imit. 1, 21)
adolēscentulus "per duōs adolēscentulōs mīsit" (Vit. sanct. 90)

tim ossa comminuerentur. Quantō autem plūs torquēbātur famulus Deī, tantō magis fortior appārēbat. Cōnstāns vērō aspectū, et rīdēns dē eius stultitiā, cōnspiciēns in coelum, ait: Tibi agō grātiās, Domine Iēsū Christe, quī mihi hanc tolerantiam dare dignātus es ad vincendum nēquissimum tyrannum. Tunc prōcōnsul, vidēns tantam eius persevērantiam et nec hīs quidem dēfēcisse tormentīs, iussit eum gladiō percutī.

comminuō = frangō

rīdeō "putō mē rīsūrum esse" (Pons tir. 10)
stultitia -ae f < stultus
tolerantia -ae f "nōn dēfuit mihi tolerantia dolōris" (Imit. 3, 18)
tyrannus "Multī tyranni sēdērunt in thronō" (Eccli. 11)

Eōdem tempore, eunte prōcōnsule ad Trōadem cīvitātem cum multā ambitiōne, oblātī sunt eī aliī trēs, Andrēās, Paulus et Nīcomachus. Cumque eōs interrogāsset unde essent vel cuius essent religiōnis, Nīcomachus impatienter māgnā vōce respondit: Ego christiānus sum: Prōcōnsul dīxit ad Andrēam et Paulum: Vōs, quī estis? Respondērunt eī: Nōs christiānī sumus. Prōcōnsul Nīcomachō dīxit: Sacrificā diīs, secundum quod iussum est. Nīcomachus respondit: Ut scīs, christiānus nōn dēbet sacrificāre daemoniīs. Itaque prōcōnsul iussit eum appēnsum torquērī. Cumque nimium vexārētur et iam prope esset ut redderet spīritum, exclāmāvit vōce māgnā: Nunquam fuī christiānus, sed sacrificō diīs. Statim fēcit eum prōcōnsul dēpōnī. Cum ergō sacrificāsset, statim arreptus ā daemone et in terram allīsus, dentibusque linguam suam comedēns, ēmīsit spīritum.

offerō oblātī

appendō "Appendite eum in eō" (Esth. 7)
nimium = nimis
vexō "vexātus est Mōÿsēs propter eōs" (Ps. 105)

ar-ripiō = corripiō

Exspectantibus autem turbīs, quaedam puella et virgō, nōmine Dionÿsia, annōs habēns sexdecim, exclāmāvit dīcēns: Miser et īnfēlīcissime homō, cūr propter ūnīus hōrae spatium acquīsīstī tibi perpetuam et inēnarrābilem poenam? Et, cum haec audīsset prōcōnsul, iussit eam in medium pertrahī, et interrogāvit eam sī esset christiāna. At illa respondit: Etiam, christiāna sum. Propter quod īnfēlīcem istum plangō, quārē adhūc modicum nōn tolerāvit, ut perpetuam requiem invenīret. Prōcōnsul dīxit: Iste modo requiem invēnit quandō diīs et invictissimīs prīncipibus sacrificandō satisfēcit. Sed propter vestram vānam religiōnem nē improperia sustinēret, māgna Diāna et Venus eum rapere dignātae sunt. Tū igitur sacrificā, nē tē vīvam incendam.

sexdecim "Nolae postquam per sexdecim annōs monachī vītam ēgisset" (Vit. sanct. 98)
īnfēlix ↔ fēlix
ac-quīrō = parō
inēnarrābilis "Grātiās Deō super inēnarrābilī dōnō eius." (II Cor. 9)
per-trahō = trahō

plangō "planget eum omnis Israël" (III Reg. 14)
tolerō = ferō

satis-faciō = placeō

improperium -i n "Tū scīs improperium meum" (Ps. 68)
dignō cf. dignus

Dionȳsia respondit: Deus meus maior est quam tū, ideōque minās tuās nōn timeō; quī potēns est mihi dare in omnibus quae intuleris tolerantiam. Tunc prōcōnsul Andrēam et Paulum iussit in custōdiam reclūdī.

minae "respice in minās eōrum" (Act. 4)
īnferō intuleris

Māne autem factō, vēnit prōclāmāns omnis turba ad prōcōnsulem petentēs sibi trādī Andrēam et Paulum; inter quōs Onesicrates et Macedōn, sacerdōtēs Diānae, excitābant sēditiōnem in populō. Cumque eōs praecēpisset addūcī, prōcōnsul dīxit eīs: Andrēa et Paule, sacrificāte mīrandae Diānae. Andrēās et Paulus respondērunt: Nōs neque Diānam neque alia daemonia quae colitis cōgnōscimus, nec aliquandō coluimus nisi sōlum Deum. Cum haec audīsset turba, ōrābant prōcōnsulem ut eōs trāderet eīs exstinguendōs. Vidēns autem prōcōnsul quod nequīret Sanctōrum superāre persevērantiam, flagellīs caesōs populō trādidit lapidandōs. Illī ergō eōs acceptōs trahēbant extrā cīvitātem, ligātīs pedibus, ut lapidārentur.

prō-clāmō

sēditiō -ōnis f = turba
praecipiō praecēpisset

Et cum lapidārentur, audīvit haec virgō Deī Dionȳsia. Clāmāns ergō et plōrāns, et dē custōdiā sē prōripiēns, cucurrit ad locum, iactāvitque sē super eōs, dīcēns: Ut vōbīscum possim vīvere in coelīs, optō vōbīscum hīc morī in terrīs. Nūntiātur igitur prōcōnsulī quod Dionȳsia, dē custōdiā fugiēns, iactāverit sē suprā corpora Andrēae et Paulī, cum ipsīs lapidibus occīdenda. Prōcōnsul igitur iussit ut sēparārētur, et dūcerētur ut dēcollārētur: quod et factum est.

nequeō "Sine tē esse nequeō" (Imit. 4, 3)
flagellum -ī n "pater meus cecīdit vōs flagellīs" (III Reg. 12)
lapidō cf. lapis
accipiō acceptōs

plōrō = fleō
prō-ripiō = ēripiō
iactō "iacta tē in mare" (Matth. 21)

Tāliter igitur venerābilēs Martyrēs hī, in ūnō agōne certantēs cum saeculō et diabolō et prōcōnsule Optimō, meruērunt victōrēs efficī, Christō propitiō. Petrus itaque dīversīs poenīs, Andrēās et Paulus lapidibus, atque Dionȳsia gladiō martyrizātī sunt. Actum apud Lampsacum diē īduum maiārum, Deciō imperātōre, Optimō prōcōnsule, rēgnante Dominō nostrō Iēsū Christō, cui est glōria, honor et potestās.

dēcollō "Mīsitque et dēcollāvit Iōannem in carcere." (Matth. 14)
tāliter < tālis
venerābilis "venerābilis et sancta erit" (Num. 28)
agōn -ōnis m = certāmen
propitius "Dominus ei propitius erit" (Num. 30)
actus < agere